

A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
N
O
P
Q
R
S
T
V
W
X
Y
Z

sunt; hoc quod Graeci $\alpha\alpha\alpha\alpha$ $\pi\alpha\delta\alpha$ dicunt: et si qui forsitan per titulum subtilitatem adnotare malaerint, et ea quae paratila nuncupantur, componere. Alias autem legum interpretationes, immo magis per versiones, eos jactare non concedimus: ne verborum eorum aliquid legibus nostris adferat ex confusione dedecus: quod et in antiquis edicti perpetui commentatoribus factum est, qui opus moderate confectum huc atque illuc in diversas sententias producentes (contrahentes), in infinitum detraxerunt, ut pene omnis romana sanctio esset confusa. Quos si passi non sumus, quemadmodum posteritatis admittatur vana discordia? Si quid autem tale facere ausi fuerint, ipsi quidem falsitatis rei constituantur, volumina autem eorum omnimodo ¹⁵ corrumpuntur. Si quid vero, ut supra dictum est, ambiguum fuerit visum, hoc ad imperiale culmen per iudices referatur, et ex autoritate Augusta manifestetur, cui ¹⁴ soli ¹⁵ concessum est leges et condere, et interpretari. — § 22. Eandem autem poenam falsitatis constituimus et adversus eos, qui in posterum leges nostras per siglorum obscuritates ausi fuerint conscribere: omnia enim, id est, et nomina prudentium, et titulos, et librorum numeros per consequentias literarum volumus, non per ¹⁶ sigla manifestari: ita, ut qui tale librum sibi paraverit, in quo sigla posita sunt, in qualemcumque locum libri, vel voluminis, sciat inutilis se esse codicis dominum: neque enim licentiam aperimus ex tali codice in iudicium aliquid recitare, qui in quacunque sua parte siglorum habere malitias. Ipse autem librarius, qui eas inscribere ausus fuerit, non solum criminali ¹⁷ poena secundum quod dictum est, plectetur: sed etiam libri aestimationem in duplum domino reddat, si et ipse dominus ignorans talem librum vel comparaverit, vel confici curaverit: quod et antea a nobis dispositum est, et in latina constitutione, et in graeca, quam ad legum professores dimisimus. — § 23. Leges autem nostras, quae in his Codicibus, id est, Institutionum, seu Elementorum, et Digestorum, vel Pandectarum posuimus, suum obtinere robur ex ¹⁸ tertio nostro felicissimo sancimus consulari presentis duodecimae indictionis, tertio calendis januariis, in omne aevum valituras, et una cum nostris constitutionibus pollutentes, et suum vigorem in iudiciis ostendentes in omnibus causis, sive ¹⁹ quae postea emeruerint, sive quae in iudiciis adhuc pendens, nec eas judicialis, vel amicalis forma percussit: quae enim jam vel judiciali sententia finita sunt, vel amicali pacto sopita, haec ²⁰ resuscitari nullo volumus modo. Bene autem properavimus in tertium nostrum consularium et has leges edere: quia maximi Dei, et Domini nostri Jesu Christi auxilium felicissimum cum nostrae reipublicae donavit: cum in hunc et bella parthica abolita sunt, et quieti perpetuae tradita, et tertia pars mundi nobis adcrevit. Post Europam enim et Asia et tota Libya nostro imperio adjuncta est, et tanto operi legum caput impositum est: omnia caelestia dona nostro tertio consulari indulta. — § 24. Omnes itaque iudices nostri pro sua jurisdictione easdem leges suscipiant, et tam in suis iudiciis, quam in hac regia urbe habeant, et proponant, et praecipue vir excelsus hujus almae urbis praefectus: curae autem erit tribus excelsis praefectis praetoris, tam orientalibus, quam illyricis, necnon libycis, per suas auctoritates omnibus, qui sae jurisdictioni suppositi sunt, eas manifestare. Data septimo decimo kalendis januariis, Justiniano domino nostro ter consule 533.

III. AD MAGNUM SENATUM.
IN NOMINE DOMINI ET DEI NOSTRI JESU CHRISTI.

Imperator Caesar, Flavius, JUSTINIANUS, Aemianicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, pius, felix, inclutus, victor, triumphator, semper colendus Augustus, ad magnum senatum, et populum, et omnes orbis nostri civitates.

Dedit nobis Deus post pacem cum Persis initam, post vandalicam trophaea, et totam Libyae acquisitionem, postque nominatissimam Carthaginem nostro iterum imperio sociatam, ut veterum legum renovationis opus ad optatum finem perduceremus: quod nemo principum ante nostrum imperium aut in mentem induci posse, aut humano ingenio possibile esse existimavit. Erat enim mirabile, omnem romanam sanctionem a condita vetere Roma usque ad nostri imperii tempora, quae pene in mille, et trecentos annos concurrunt, non solum secum in variis suis partibus, sed in imperialibus quoque praesertim sanctionibus inter omnem nutare consonantiam pariter, ac discordiam: non tamen id solum, quod, secum pugnat, tollere: sed etiam, quod idem, aut simile reperiebatur, expellere, variamque ipsius pulchritudinis ideam tribuere, ita ut pro singulis rebus singulae leges constitutae viderentur. Quod procul dubio superioris

¹³ L. 5, § 21. C. de vet. jure encl. ¹⁴ L. 4, § 1. D. famul. exercis. — ¹⁵ L. 1, et ult. § 1, C. de leg. — ¹⁶ Immo vide L. 9, D. de legib. — ¹⁷ Constit. ad Antecessores supr. § 8.

numinis, et fluentis inde benignitatis fuit, non humanae cogitationis, aut incepti, aut potestatis. Nos itaque, more solito manibus ad Deum erectis, eoque, ut nos complecti dignaretur, invocato, et rem aggressi sumus, et omnia tandem confecimus, Triboniano gloriosissimo magistro, et ex quaestore sacri nostri palatii, et ex consule, ad omne ministerium usi, necnon aliis quibusdam illustribus et prudentibus viris, inquirentes semper ea quae ab eis componebantur: et id, quod erat dubium, perscrutantes: omnibus quoque secundum datam nobis a Domino Deo, et Salvatore nostro Jesu Christo scientiam, et intellectus vigorem, imponentes competentem formam.

§ 1. Et piissimas igitur Constitutiones jam ante in duodecim libris comprehensas, Codicem nostrae pietatis cognomine fulgentem composuimus: nunc vero omnium veterum juris conditorum sententiis ex multitudine, nunc vero duo millia pene librorum, et trecentas myriadas versuum pertingebat, in moderatum et perspicuum collegimus compendium. Quinquaginta igitur libris omnia complexi nunc sumus celesti favore, colligentes omne id, quod erat utile, et omnes ambiguitates decedentes, nullo seditioso relicto. Quos libros Digesta, seu Pandectas appellavimus ex eo, quod legum habeant divisiones, et decisiones, itemque ex eo, quod omne in unum congregatum receperint, hanc eis appellationem imponentes: nec ultra quindecim myriadam versuum numerum eis dantes: et in septem eos disponentes tractatus, idque non perperam, neque sine ratione, sed ad numerorum naturam, et harmoniam respicientes. — § 2. Ea igitur, quae apud omnes $\pi\alpha\delta\alpha$, id est, primordia nuncupantur, in quatuor libros seposuimus. — § 3. Deinceps ea, quae de iudiciis tractant, in alios septem libros. — § 4. Item ea, quae de rebus, non in plures, quam octo libros. — § 5. Sequentem vero operis partem, quae quarta, et media est totius operis, in aliis octo libris seposuimus: in quibus est quidem hypothecaria, non longe admodum a pignoratitia actione distans: est et aedilitium edictum, et de evictionibus stipulatio: quae duo accessoria, et consequentia constituta venditionum, longe tamen admodum in veteri juris ordinatione ab his devagantia, congregavimus propter mutuum inter se cognationem, ne, quae de eodem pene loquuntur, longe a se distarent. Post haec introduximus post duos illos libros ea, quae sunt scripta de usuris, tam terrestribus, quam trajectitiis, seu maritimis, et de probationibus, atque praesumptionibus in unum librum. His autem tribus monobilibus (singularibus libris) post tractatum de rebus sibi invicem proximis depositis; et rursus ea, quae de sponsalibus, et nuptiis, et dote legibus dicta sunt, congregantes, his etiam tria habere in hac ordinatione volumina concessimus. De tutoribus autem minoris aetatis geminos libros, eos, inquam, qui de tutelis apud omnes nominantur, et hic etiam in compendium concidimus, memoratam octo librorum ordinationem, et mediam (ut dictum est) hanc partem totius operis confecimus, pulcherrima, et utilisima jura in his describentes. — § 6. De testamentis autem, et legatis, et fideicommissis omnia congregavimus in novem librorum numerum: quorum principatum obtinent ea, quae sunt de testamentis, et codicillis, cum omnium, tum etiam militum, qui ea, ut volunt, faciunt, duobus libris ordinata, et de testamentis inscripta: quinque autem sequentibus continentur ea, quae de legatis, et fideicommissis, et omni eorum ambiguitate disputata sunt. Et quoniam Falcidia narratio continens, et consentanea erat legatorum, et fideicommissorum proprio tractatui: propterea et ipsam continuo legatorum supposuimus tractationi, libro integro rei applicato, cum brevi quadam adjectione. Et rursus quia ad Falcidiae imitationem [introducitur] erat Trebellianum senatusconsultum in fideicommissis: et huic ultimum hujus ordinationis tribuimus locum totum: jus super his positum, Trebellianum senatusconsulto attribuentes, et super vacuum esse Pegasiani senatusconsulti positionem invenientes, et absurda horum senatusconsultorum inter se differentias, et communiones: quae sane et veteres perosi, captiosas, et damnosas appellaverunt: simpliciore quadam narratione omne hoc schema congregantes, et ad unius senatusconsulti Trebelliani ordinationem applicantes, et hanc quintam partem totius ordinationis novem his perfectimus libris. In quibus novem libris nihil de quodam caducis dictum a nobis est: quia propter usum quandam non prosperum cum increbuisse in republica, et luctuosum monumentum bellorum civilium essent, non oportebat in his manere temporibus, in quibus et Deus dedit pacem nobis agere domi, et foris, et, cum oportuit bellum gerere, facile cum ipsius favore hostes superare, et capere. — § 7. Sequitur deinde, et exoritur nobis et sexta pars totius compositionis, octo conclusa libris. Pulchre autem incipit ab his, quae possessiones nominantur, quas nos similiter, ut caetera diligenter considerantes, tam eas, quae ad ingenuos, quam quae ad libertinos pertinent, ex multa anteriorum temporum confusione et obscuritate in purum deduximus compendium, geminorum illis librorum numerum sufficere arbitantes. Adplicavimus

¹⁸ L. 47, c. 2, N. 107, c. 1. — ¹⁷ L. 5, § 21. C. de veter. jure encl. — ¹⁸ Vers. beug autem. inf. cod. — ¹⁹ Adde L. 7, C. de legib. — ²⁰ L. 16, C. de transact.

autem ipsis et omnes ab intestato appellatas successiones, et ipsos generum ordines, eorum gradibus etiam libro inscriptis, et circa omnium finem Tertullianum et Orficium composuimus senatusconsultum, ex quibus matres et liberi invicem successores fiunt. Procedit autem post haec alius liber, qui de aedificiorum operibus, et de ea, quae ob ruinosa et diruta aedificia (datur), satisfactione, et his, qui in his aliquid insidiarum, aut fraudis admisierint, et de his, qui ex aquarum impetu vicinas laeserint, et de publicorum vectigalium coactoribus, atque insuper de donationibus, tam indefinitis (seu simplicibus) quam in cogitatione mortis relatis, leges ac jura ordinat. Rursum autem quicquid de quacunque manumissione extat, vel de his, quae super ipsa agitantur, causis, et hoc uni traditum est libro. Amplius autem et ea, quae de possessione, et per ipsam acquisitione, et de causis eam introducentibus, in unum seposuimus tractatum (seu librum). Et quicquid etiam de iudiciariis extat sententiis, et his, qui in his aliqua contra seipos confessi sunt, et de bonorum cessione, et creditorum detentione, et venditione, et de bonorum separatione, et curatione, et ne quid patiantur creditores fraudis, et id in unum similiter collatum est librum. Sed interdictorum modum non pluribus, quam uni dedimus libro. Inde autem et ad praescriptiones seu (exceptiones) et in his ordinata tempora venimus. Et obligationum quidem et actionum seposuimus modos, et coegimus omnem hanc partem, cui praesunt possessiones, ut dictum est, octo librorum numero descriptam, sextam hanc partem totius voluminis seponentes. — § 8. Totius autem extrema pars, quae et septima est totius tractationis, sex librorum numero demandata est, incipiens quidem a stipulationibus, procedens vero ad ea quae scripta sunt de fidejussione, et debitorum numeratione, solutione, et liberatione ipsorum, et de introductis ex praetorum jurisdictione stipulationibus: quae omnia duobus a nobis contracta sunt libris: cum apud veteres nec dici posset, quot essent libri ea de re. Procedit et deinceps ad delictorum narrationem: et omnia recenset, quae ad minora delicta pertinent, quae vocantur privata: et item quae ad ea, quae necdum ordinaria appellat, sed ipsis extraordinariorum appellationem imponunt: descendit etiam et ad publica crimina, quae atrocissima sunt, et magna sibi advocat poenam. Duo autem et hic sunt libri, qui illa quidem quae ad delicta et crimina pertinent, complectuntur: quibus permixta sunt et ea, quae de reis criminum, qui se celare tamen conantur, scripta sunt, et de eorum bonis, et de ea, quae infligitur condemnatis, poena, vel indulgentia. Initium autem nobis alterius rursus libri fit narratio de appellationibus, quae communis est profecto ad rescindendas, tam pecuniarias (seu civiles) sententias, quam criminales. Quaecunque autem de civibus (seu municipibus), et de decurionibus, et muneribus, et publicis operibus, et nudinis et reductum pollicitationibus, et variis cognitionibus (seu interrogationibus), et publica descriptione, veteribus inventa sunt: et quaecunque de verborum extant significatione, et de his, quae pro regulis apud veteres dicta sunt: haec omnia in sese recipit ultimus liber. Hujus igitur compositionis, cujus initium est a stipulationibus, hic liber est sextus quidem, si ad proprium principium comparatur: sed est quinquagesimus, si conferatur ad totam consummationis perfectionem (seu harmoniam). — § 9. Quae omnia composita sunt, et elaborata peroptime, et ut nostra iussione dignum fuit, per Tribonianum illustrissimum, necnon prudentissimum magistrum, et ex quaestore nostrorum palatiorum, et ex consule, virum, et in ipsis rerum experimentis, et in eloquentia, et in legibus scribendis satis spectatum, et qui nihil unquam nostrorum iussuum contempsit: necnon per alios [viros], qui sub ipso nobis hoc opus elaboraverunt, id est, Constantium magnificentissimum comitem sacrarum largitionum, et antigapharium [seu magistrum] sacri scrinii, et sacrorum libellorum, et cognitionum imperialium, qui nobis bonam de se opinionem in omnibus praebuit: necnon Theophilum magnificentissimum magistrum, et leges [seu jura] in regia hac urbe laudabiliter, et cum summis vigiliis, et ut magisteria sedulitate dignum est, docentem, et Dorotheum magnificentissimum quaestorem, et doctorem in legum civitate designatum; dicimus autem verendam, et splendidam Berytiensium metropolin; quem de ipso optima opinio, et gloria, et ad nos deduxit ipsum, et, ut hujus operis participem faceremus, hortata est: sed et Anatolium magnificentissimum magistrum, qui et ipse apud Berytienses ea, quae ex legibus proficiuntur, pulchre docet, vir ex tertia stirpe laudabili juris apud Phoenices interpretum descendens (refert enim genus ad Leontium, et Eudoxium, homines in legibus optima memoriae, post patricium inclutae recordationis, quaestorium, et anticensorem, et Leontium gloriosissimum, ex praefecto, et ex consule, atque patricium ejus filios, summam admirationis viros): et Cratinum magnificentissimum, atque prudentissimum comitem sacrarum largitionum (et optimus quoque est is legum enarrator in regia hac urbe): et praeter hos etiam Stephanum, Mennam, Prosdocium, Eutolmum, Timotheum, Leosidem,

Leontium, Platonem, Jacobum, Constantium, Joannem, viros prudentissimos, qui universi rhetores quidem gloriosissimorum praefectorum sacrorum nostrorum praetiorum, gloriam autem seu laudem apud omnes prudentiae juste habent, et a nobis merito iudicati sunt digni, ut eligerentur tanti certaminis participes. Haec igitur nobis circa Digestorum elaborata sunt conscriptionem per jam dictos gloriosissimos viros.

§ 10. Tanta autem nobis reverentia antiquitatis fuit, ut neque mutari nomina veterum jurisconsultorum sustinuerimus, sed uniuscujusque illorum appellationem legibus inscripsimus: mutantem quidem, si quid jam habere visum est non recte, partes vero illas nunc tollentes, has nunc addentes, ex multis denique optimum eligentes, et unam, atque parem omnibus praebentes potestatis vim, seu robur: ita ut quicquid scriptum est in eo libro, id nostra sit sententia: nemine audente comparare ea, quae nunc facta sunt, his, quae prius erant: quia multa, et numerata non facilia transposuimus in melius, etiam si quid imperiali aliqua antiquorum imperatorum constitutione in aliam dictum fuerit formam. Nam nomina quidem veteribus servavimus, legum autem veritatem nostram fecimus: itaque si quid erat in illis seditiosum (multa autem talia erant ibi reposita), hoc decisum est, et definitum, et in perspicuum finem deducta est quaeque lex.

§ 11. Sed cum oportebat et aliquam mediocrem isagogam facere in eorum gratiam, qui recenter leges attingunt, nec majorem doctrinam portare possunt: neque hoc extra nostram providentiam reliquimus, scilicet Triboniano gloriosissimo, qui et ad totius operis legitimi gubernationem electus est, necnon Theophilo et Dorotheo magnificentissimis et prudentissimis antecessoribus accersitis mandavimus: ut seligerent ex his quae apud veteres erant isagogarum modo composita, ea quae essent aptissima, et in ipsis rerum argumentis obtinentia, utque colligerent, et nobis offerrent, et ut mentionem etiam facerent nostrarum Constitutionum, quas pro emendatione veteris juris promulgavimus: et ita componerent libros quatuor futuros: prima elementa totius isagogae, quas vocari Instituta visum est, quam sane legitimi operis partem compositam nobis obtulerunt, et nos eam totam consideratam a nobis, et perpensam, recteque habere visam nostris sensibus non indignam esse judicavimus, et pro nostris haberi Constitutionibus, et nostrarum Constitutionum robur habere iussimus: quod et ex his, quae in praemissis ejusdem voluminis disseruimus, omnibus manifestum fecimus. — § 12. Sic itaque omni romani juris dispositione ordinata, et in tribus integris et voluminibus, et annis, tanto opere perfecto: quod a nobis ab initio omnem spem excedere: circa finem autem, cum jam penetrabilem esse rem docuimus, ne in decem quidem annis totum absolvi posse videbatur: tanta ergo trium annorum celeritate consummato opere, et hac opera Domino Deo oblata, qui dedit, et pacem agere, et bella feliciter dirigere, et leges ponere praeterito, praesenti, et futuro tempori, justum esse putavimus, omnibus hominibus facere manifestum nostrum in Libus studium simul, et providentiam: quomodo nempe priore soluti perturbatione, et confusione, et nullum finem habente juris positione, usuri sint posthac legibus rectis, compendiosis, et omnibus ad manum promptis, et litium compendium adherentibus, et paratis atque expositis omnibus (volentibus) ad facilem acquisitionem, nec amplius egentibus multis pecuniis, ut illorum inutilium librorum congerant multitudinem: sed vilissima pecunia tam ditioribus, quam ex tenuiore profectis patrimonio, copiam sui comparandi praebentibus. — § 13. Si quid autem ex multitudine ea, quae nunc congesta est, et ex tantis myriadibus collecta, videbitur esse simile [et geminatum] (haec autem putamus rarum esse) attamen humanae naturae [imbecillitatem] considerantibus, non extra justam apologiam ne hoc quidem videbitur esse: in nullo enim aberrare, [seu in omni irreprehensibilem, seu inemendabilem esse,] divinae utique solius non autem mortalis est constantiae, [seu roboris,] quemadmodum et a majoribus dictum est, deinde est ubi et similitum adsumpsimus positionem: vel rebus subjectis id exigentibus, ut oporteret idem pluribus applicari titulis: vel quia cum extraneo loco esset commixtum id, quod simile superiori videbatur, impossibile fuit eam similitudinem detrahi: vel etiam quia saepe custodienda fuit integra totius theoriae [seu visionis] continentia, nec [separanda aut] divellenda mens et intellectus [legentium] per eorum, quae jam scripta fuerant, ademptionem, quin et hoc sibi adsumptum est propter rei necessitatem: tamen id breve est, nec ullum fere sui sensum praebens. — § 14. Hoc etiam ipsum, et in Constitutionibus jam inter imperiales constitutiones relatis, et jure quod ex his resultat, observavimus: nam quae in illis jam cauta erant, ea nec in hoc volumine poni concessimus, nisi ob aliquam interdum circumstantiam similitudinis aliqua causa relicta est. — § 15. Contrariam autem aliis legibus legem ex his,

1. L. 5, L. 7, L. 8, L. 11, L. 17, C. d. adloc. divers. jud.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

K

L

M

N

O

P

Q

R

que in hoc volumine posita sunt, non facile quis reperit, si modo ad omnes contrarietatis fines animum intendere festinet, sed inest aliquid diversum: quod adsumptum alterius generis forte hanc, et illam legis positionem apparere faciet. — § 16. Sed et si quid forte prætermisum est eorum, quæ poni debebant (forte enim et aliquid tale contigit) propter humanæ imbecillitatem naturæ, multo sane melius est nostris subditis multis inutilibus liberari (legibus), dum privantur forte paucis quibusdam, quæ videbantur idonea, myriadibus prope infinitis defossa, et deposita, et nemini forte mortalium animadversa. — § 17. Hanc enim ob causam tot libris (quos antea scribi oportebat) destituti iudices faciunt ex paucissimis juris autoribus, et libris ad finem litium perveniunt, et judicia decidebant vel propter inopiam librorum, vel quia non sufficiebant multis laboribus ad inveniendam multa utilia necessariis, et viribus erant impares. In præsentibus autem consummatione maximus legum obtinentium congestus est numerus ex libris raris, et qui vix inveniri potuerint, et quorum nec nomina nec eruditissimi quidem in legibus complures homines noverant. Quorum sane copiam (seu materiam) nobis uberrimam dictus gloriosissimus Tribonianus præbuit, multorum librorum, et qui vix numerari possunt, suppeditata multitudine, quibus omnibus perfecte lectis, congesta sunt hæc volumina, sed ex horum multis, et variis hi, qui a nobis ad hoc congregati erant, cum nihil invenissent idoneum, aut novum ab his, quæ jam congregata erant, illationem ex his in hoc opere faciendam optimo animo respuerunt. — § 18. Si vero postea aliquid novi controvertitur, quod non apparebit legibus his inscriptum: (multa enim novare novit natura) sed imperium Deus propter hoc imposuit hominibus, ut emergentia, et legis egentia lege definat, et humanæ naturæ incertum repleat, et certis concludat legibus, ac regulis, neque hoc nostrum nunc dicimus: sed jam omnium juris conditorum, qui olim claruerunt, prudentissimus Julianus hoc ipsum videtur dixisse, qui et ab imperiali autoritate implorat fieri legum repletionem in emergentibus ambiguitatibus: sed et divus Adrianus piæ memoriæ, quando ea, quæ a prætoribus quotannis edicta fuerant, brevi complexus est libello, adsumpto ad id optimo Juliano, in oratione, quam in commune habuit in seniore Roma, hoc ipsum quoque ait: ut, si quid præter id quod jam ordinatum est, emergerit, conveniens est, eos, qui in magistratu sunt, illud conari decidere, et remedium imponere secundum eorum, quæ jam ordinata sunt, consequentiam [imitationem]. — § 19. Hæc igitur omnes (dicimus autem vos, magne senatus, et omnes nostræ reipublicæ homines,) cognoscentes, gratiam quidem confitemini Deo, qui nostris temporibus tantum bonum servavit: utimini vero nostris legibus, nulli earum, quæ veteribus libris inscriptæ sunt, attendentes: neque ad ea, quæ nunc posita sunt, illas comparantes: quia etsi videantur quædam invicem non consonare, tamen prius illud, et vetustius nobis, ut imperfectum displicuit, nunc autem hoc visum est debere obtinere. Nam prohibemus illis in posterum uti, hæc autem sola observari in reipublica, et obtinere concedimus, et sancimus, ita ut qui conatus fuerit ex prioribus libris, et non ex his duobus solis, et Constitutionum [libro] a nobis compositis, vel factis, uti quibusdam legibus, vel eas in judiciis legere, vel si quis judicaverit ex his, apud se recitari eas passus: falsi reus erit, et publicorum criminum judicatus, et pœnæ addictus: quod etsi non diceremus, vel ex hoc ipso manifestum esset. — § 20. Sed et hoc optimum fore judicavimus, præponere Digestorum volumini et veteres juris conditores et illorum volumina, et unde collectio facta sit legum nunc a nobis congestarum, quod et fieri jussimus, et factum est: et simul ea, quæ de his rebus conscripta sunt, supponi huic divinæ nostræ Constitutioni præcepimus, ut omnibus fiat manifestum, et quid prioris inexperience simul, et incertitudinis esset, et quid a nobis sit adinventum. Legislatores autem, seu legum interpretes illos congestissimus, qui apud omnes probati et recepti erant, et prioribus imperatoribus placuerant, et qui ab his nominari meruerunt. Si enim aliquis nondum veteribus legislatoribus cognitus est: nos et huic interdiximus hujus voluminis communicationem. Omnibus sane his positus unum ordinem,

2 N. 7, c. 2.—3. L. 1, D. de orig. jur.—4. L. 12, L. 15, L. 37, L. 38, D. de legib.; L. 6,

et dignitatem parem dedimus: nulli cuiquam majore, quam cæteris, data prærogativa. Si enim his, quæ ab illis scripta sunt, omnibus imperialis Constitutionum dedimus robur: quid est, quod in his amplius, quodque minus haberi debeat? — § 21. Illud autem, quod statim, cum hæc compositionem legum congregari mandavimus, jussimus: iterum et nunc sancimus illud confirmando: omnibus similiter interdiximus, ne quis audeat hominum, qui sunt nunc, aut in posterum erunt, commentarios scribere harum legum, præterquam si velit quis in græcam linguam hæc transferre, quem etiam volumus sola secundum pedem, seu *κατὰ πόδα* nuncupata uti legum interpretatione: et si quid secundum nominatorum paratitorum (ut conveniens est) adscribere voluerint usum: aliud autem nihil omnino, ne tantillum quidem circa ea facere, nec rursus dare seditionis, et dubitationis, aut infinite multitudinis legibus occasionem, id est, quod antea in antiqui edicti factum est ordinatione: ita ut illud brevissimum constitutum ex differentium commentariorum differentia, seu diversitate in infinitam extenderetur multitudinem. Si quid enim forte ambiguum fuerit visum vel litium certatoribus, vel his, qui rebus judicandis præsent, hoc imperator interpretabitur recte: nam hæc facultas illi soli a legibus permessa est. Itaque quisquis ausus fuerit ad hanc nostram legum compositionem commentarium aliquod adicere, aliter atque nostræ hujus jussionis forma præscribit: is sciat, quod et ipsi falsi reo legibus futuro, et quod composuerit, eripietur, et modis omnibus corrumpetur. — § 22. Eadem pœna imposita et adversus eos, qui notis [seu signis] quibusdam in scriptura utentur (quæ signa singlas vocant), et qui per ea conturbare scripturam tentaverint, nec per totam consequentiam literarum numeros, et nomina veterum prudentum, et totam legum positionem scripserint. Sciant etiam librorum ita scriptorum comparatores se inutilis fore libri dominos: neque enim damus licentiam talibus libris in judiciis uti, et aliquid agere, etiamsi contingat librum in ea ipsa parte, quæ recitatur, nullum habere tale signum [aut notam], sed in alia quacunque sui parte, quamvis semel tantum id admissum sit. Itaque ipse quidem eum librum pro non scripto prorsus habebit. Is autem, qui eum scripserit, et ignoranti emptori dederit: solvet duplum ejus estimationis ei, qui ita in quantitate damnus passus fuerit, nihilominus instiganda criminali pœna. Hoc etenim et in aliis constitutionibus ea de re positus scripsimus, tam his, quæ latina processerunt voce, quam ea, quæ Græcorum lingua, quam quidem ad legum professores rescripsimus. — § 23. Hæc igitur volumina (Institutionum et Digestorum dicimus) ex fine tertii nostri felicissimi consulatus suum robur obtinere sancimus, id est, ex ante tertium kalendarum januariarum præsentis duodecimæ indictionis, in omne ævum valitura, et una cum imperialibus constitutionibus vigorem et locum habitura tam in his, quæ postea emergerint, quam in his, quæ in judiciis adhuc pendent, necdum amicalibus tradita sunt transactionibus: quodcumque enim hætenus vel judicatum, vel tractatum est, retractari non sustinemus. Quem quidem consulatum tertium nobis nominatissimum dedit Deus, quando et sub ipso pax cum Persis confirmata est, et hoc tantum legum volumen repositum est: quod a nemine majorum unquam excogitatum fuit, atque ad hæc tertia pars mundi (dicimus autem totam Libyam) nostris adjuncta est sceptris: omnia hæc a summo Deo, et Servatore nostro Jesu Christo dona tertio nostro consulatu indulta. — § 24. Omnes itaque laudatissimi reipublicæ nostræ magistratus, hanc divinam nostram suscipientes constitutionem, ut utantur prædictis nostris legibus, unusquisque in suo procurabit iudicio. Præponet autem eam in maxima et regia hac urbe et ejus gloriosissimus præfectus. Curæ autem erit excellentissimo et laudatissimo nostro magistro, et gloriosissimis atque beatissimis præfectis sacrorum nostrorum prætoriorum, tam his, quæ ad solem orientem, quam in his, quæ in Illyride: necnon his etiam, quæ in Lybia sunt, per sua edicta his, qui sub ipsis ordinati sunt, ista facere manifesta, ad omnium nostrorum subditorum inexcusabilem notitiam. Data xvii Kalendas januarias, domino nostro Justiniano perpetuo Augusto iiii consule. 533.

C. de sacros. Ecclæs. et populo; L. 9, circa prin. D. de just. et jure.—5. L. 7, C. de legib.

A

- de Abigeis. pag. 1377. lib. 47. tit. 44.
- de Acceptatione. 1525. * 46. 4.
- de Accusationibus et inscript. 1584. * 48. 2.
- de Actione rerum amotarum. 798. * 25. 2.
- de Actionibus empti et venditi. 632. * 49. 1.
- de Ademptione libertatis. 1304. * 40. 6.
- de Adimendis vel transferendis legatis. 1070. * 54. 4.
- de Administratione et periculo tutorum. 821. * 26. 7.
- rerum. 1686. * 50. 8.
- de Adoptionibus et emancipat. 212. * 1. 7.
- de Adquirenda vel amittenda possess. 1341. * 41. 2.
- vel omittenda hereditate. 919. * 29. 2.
- de Adquirendo rerum dominio. 1129. * 44. 1.
- de Adsignandis libertis. 1211. * 38. 4.
- de Adilitio Edicto. 699. * 21. 4.
- de Aestimatoria. 676. * 19. 5.
- de Agnoscendis et alendis liberis. 801. * 28. 5.
- de Albo scribendo. 1676. * 30. 5.
- de Aleatoribus. 497. * 11. 5.
- de Alienatione judicii mutandi causa. 346. * 4. 7.
- de Alimentis vel cibariis legatis. 1051. * 54. 1.
- de Annis legatis. 1016. * 35. 1.
- An per alium causæ appellatum. 1045. * 49. 9.
- de Appellationibus et relationibus. 1656. * 49. 1.
- recipiendis. 1643. * 49. 5.
- Apud eum, a quo appellatur. 1646. * 49. 12.
- de Aqua et aquæ pluvie arcendæ. 1255. * 39. 5.
- cotidiana et æstiva. 444. * 45. 20.
- A quibus appellari non licet. 1640. * 49. 2.
- de Arboribus cædendis. 1430. * 45. 27.
- Arborum furtim cæsarum. 1358. * 47. 7.
- de Auctoritate et consensu tutor. 836. * 26. 8.
- de Auro, argento, mundo, etc. 1056. * 54. 2.

B

- de Bonis damnatorum. 1650. * 48. 20.
- eorum qui ante sentent. 1652. * 48. 21.
- libertorum. 1201. * 38. 8.
- de Bonorum possessionibus. 1169. * 37. 1.
- de Bonorum possessione contra tab. 1162. * 37. 4.
- — — — — ex testamento mil. 1191. * 37. 13.
- — — — — furioso, infanti, etc. 1161. * 37. 3.
- — — — — secundum tab. 1187. * 37. 11.

A
B
C
D
E
F
G
H
I
L
M
N
O
P
Q
R

A

- de Abigeis. pag. 1577. lib. 47. tit. 14.
- de Acceptilatione. 1525. * 46. 4.
- de Accusationibus et inscript. 1584. * 48. 2.
- de Actione rerum amotarum. 798. * 25. 2.
- de Actionibus empti et venditi. 652. * 19. 1.
- de Ademptione libertatis. 1504. * 40. 6.
- de Adimendis vel transferendis legatis. 1070. * 34. 4.
- de Administratione et periculo tutorum. 821. * 26. 7.
- rerum. 1686. * 50. 8.
- de Adoptionibus et emancipat. 242. * 1. 7.
- de Acquirenda vel amittenda possess. 1541. * 41. 2.
- vel omittenda hereditate. 919. * 29. 2.
- de Acquirendo rerum dominio. 1529. * 41. 1.
- de Adsignandis libertis. 1211. * 58. 4.
- de Adilitio Edicto. 699. * 21. 1.
- de Aestimatoria. 676. * 19. 5.
- de Agnoscendis et alendis liberis. 801. * 98. 5.
- de Albo scribendo. 1676. * 50. 3.
- de Aleatoribus. 497. * 11. 5.
- de Alienatione iudicii mutandi causa. 516. * 4. 7.
- de Alimentis vel cibariis legatis. 1051. * 34. 1.
- de Annui legatis. 1016. * 35. 1.
- An per alium cause appellationum. 1645. * 49. 9.
- de Appellationibus et relationibus. 1656. * 49. 1.
- recipiendis. 1645. * 49. 5.
- Apud eum, a quo appellatur. 1646. * 49. 12.
- de Aqua et aquae pluviae arcendae. 1255. * 59. 3.
- cotidiana et aestiva. 1414. * 45. 20.
- A quibus appellari non licet. 1640. * 49. 2.
- de Arboribus cadendis. 1450. * 45. 27.
- Arborum furtim caesarum. 1558. * 47. 7.
- de Auctoritate et consensu tutor. 335. * 26. 8.
- de Auro, argento, mundo, etc. 1056. * 34. 2.

B

- de Bonis damnatorum. 1650. * 48. 20.
- eorum qui ante sentent. 1652. * 48. 21.
- libertorum. 1201. * 53. 8.
- de Bonorum possessionibus. 1152. * 57. 1.
- de Bonorum possessione contra tab. 1162. * 57. 4.
- ex testamento mil. 1191. * 57. 15.
- furioso, infanti, etc. 1161. * 57. 3.
- secundum tab. 1187. * 57. 11.

DIGESTORUM SEU PANDECTARUM



LIBER PRIMUS.

TIT. I.

DE JUSTITIA ET JURE.

1. ULPIANUS, lib. 1 Institutionum.

Juri operam daturum prius nosse oportet, unde nomen *juris* descendat. Est autem a justitia appellatum: nam (ut eleganter Celsus definit) jus est ars boni et aequi¹.

§ 1. Cujus merito quis nos sacerdotes appellet: justitiam namque colimus: et boni et aequi notitiam² profitemur: aequum ab iniquo separantes: licitum ab illicito discernentes: bonos non solum metu poenarum, verumetiam premiorum quoque exhortatione efficere cupientes: veram (nisi fallor) philosophiam, non simulatam affectantes³.

§ 2. Hujus studii duae sunt positiones; publicum, et privatim. Publicum jus est, quod ad statum rei romanae spectat. Privatim, quod ad singulorum utilitatem: sunt enim quaedam publice utilia, quaedam privatim. Publicum jus in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit. Privatim jus tripartitum est: collectum etenim est ex naturalibus praecipis, aut gentium, aut civilibus. — § 3. Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit, nam jus istud non humani generis proprium, sed omnium animalium, quae in terra, quae in mari nascuntur; avium quoque commune est. Hinc descendit maris⁴ atque foeminae conjunctio, quam nos *matrimonium* appellamus: hinc liberorum procreatio, hinc educatio⁵: videmus etenim cetera quoque animalia, feras etiam, istius juris peritia censerit. — § 4. Jus gentium est⁶, quo gentes humanae utuntur: quod a naturali recedere, facile intelligere licet: quia illud omnibus animalibus, hoc solis hominibus inter se commune sit.

2. POMPONIUS, lib. singulari Enchiridii.

Veluti erga Deum religio⁷: ut parentibus et patriae⁸ pareamus.

3. FLORENTINUS, lib. 1 Institutionum.

Ut vim, atque injuriam propulsemus. Nam jure hoc⁹ evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit¹⁰, jure fecisse existimetur, et, cum inter nos cognationem quandam natura constituit, consequens est omnem homini insidiarum nefas esse.

4. ULPIANUS, lib. 1 Institutionum.

Manumissiones quoque juris gentium sunt. Est autem manumissio, de manu missio, id est, datio libertatis: nam, quamdiu quis in servitute est, manus et potestati suppositus est: manumissus, liberatur potestate. Quae res a jure gentium originem¹¹ sumpsit: utpote cum jure naturali omnes liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cum servitus esset incognita: sed posteaquam jure gentium servitus invasit, sequutum est beneficium manumissionis: et cum uno naturali nomine *hominis* appellaremur, jure gentium tria¹² genera esse ceperunt, liberi, et his contrarium servi; et tertium genus liberti, id est, hi qui desierant esse servi.

TIT. I. — 1. L. 90, infr. de reg. jur.: L. 8. C. de judic.: L. 24, § 1, infr. de minor. — 2. L. 31, infr. de possid.: L. 91, § 3, infr. de verb. oblig., § 1, Inst. de exceptio. — 3. L. 1, § 5, infr. de extraordinariis cognationibus. — 4. L. 1, infr. de ritu nupt. — 5. L. un., § 5, vers. sileat. C. de rei uxor. act.: L. 8, § 5, in pr. C. de bonis que liber. — 6. L. 9, infr. h. t. — 7. Adde L. Jo infr. de poenis. — 8. L. 1, § 15, infr. de ventre in possess. mitt. — 9. L. 45, § 4, infr. ad leg. Aquil. — 10. Adde L. 8, § 2, infr. quod met. caus. — 11. Vide tamen L. 5, § 1, infr. de statu hom.: L. un. C. de SC. Claudiano toll. — 12. N. 89, c. 1. — 13. L. 1, in pr. infr. de acquirend. rer. domin. — 14. L. 15, in pr. infr. de interd. et relegat. — 15. L. 1, § 2, infr.

5. HERMOGENIANUS, lib. 1 Juris Epitomarum.

Ex hoc jure gentium introducta bella: discretæ gentes: regna condita: dominia¹³ distincta: agris termini positi: aedificia collocata: commercium¹⁴, emptiones¹⁵, venditiones, locationes¹⁶, conductiones, obligationes institutæ: exceptis quibusdam, quae a jure civili introductæ sunt.

6. ULPIANUS, lib. 1 Institutionum.

Jus civile est, quod neque in totum a naturali¹⁷ vel gentium recedit, nec per omnia ei servit: itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus juri communi, jus proprium, id est civile, efficitur.

§ 1. Hoc igitur jus nostrum constat aut ex scripto, aut sine scripto: ut apud Graecos τὸν νόμον εἰ μὲν ἔγγραφοί, εἰ δὲ ἀγράφοι, id est, *legum aliae quidem scriptae, aliae vero non scriptae*.

7. PAPINIUS, lib. 2 Definitionum.

Jus autem civile est, quod ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, decretis principum, autoritate prudentium venit.

§ 1. Jus praetorium est, quod praetores introduxerunt, adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi juris civilis gratia, propter utilitatem publicam: quod et *honorarium* dicitur, ad honorem praetorum sic nominatum.

8. MARCIANUS, lib. 1 Institutionum.

Nam et ipsum jus honorarium viva¹⁸ vox est juris civilis.

9. GAIVS, lib. 1 Institutionum.

Omnes populi, qui legibus et moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur. Nam quod quisque populus ipse sibi jus constituit, id ipsius proprium civitatis est: vocaturque *jus civile*, quasi jus proprium ipsius civitatis. Quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peregrinos custoditur: vocaturque *jus gentium*, quasi quo jure omnes gentes utuntur.

10. ULPIANUS, lib. 1 Regularum.

Justitia est constans¹⁹ et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.

§ 1. Juris praecipua sunt haec: honeste vivere, alterum non laedere, suum cuique tribuere²⁰. — § 2. Jurisprudentia est divinarum²¹, atque humanarum²² rerum notitia: justae atque injustae scientia.

11. PAULUS, lib. 14, ad Sabinum.

Jus pluribus modis dicitur. Uno modo, cum id quod semper aequum ac bonum est, *jus* dicitur: ut est jus naturale. Altero modo, quod omnibus aut pluribus²³ in quaque civitate utile est: ut est jus civile. Nec minus *jus* recte appellatur in civitate nostra jus honorarium. Praetor quoque *jus reddere* dicitur²⁴ etiam²⁵ cum inique²⁶ decernit: relatione scilicet facta, non ad id, quod ita praetor fecit, sed ad illud, quod praetorem facere convenit²⁷. Alia significatione *jus* dicitur locus, in quo jus redditur: appellatione collata ab eo, quod sit, in eo, ubi sit: quem locum determinare hoc modo possumus: Ubiunque praetor²⁸ salva majestate imperii sui, salvoque more²⁹ majorum jus dicere constituit, is locus recte jus appellatur.

de contrah. empt. — 16. L. 1, infr. locati. — 17. Vide tamen § 11, Inst. de jure naturali, gent. et civili. — 18. L. 2, § 13, infr. de orig. jur. N. 105, c. 2, in fin. — 19. Pr. Inst. h. t. — 20. L. 24, § pen. infr. de minor.: L. 51, infr. de possid. — 21. L. 1, § 2, supr. h. t. — 22. § 1, supr. Constit. ad Tribonianum, de concept. Digest. — 23. Vide tamen L. 8, infr. de legibus. — 24. L. 65, § 2, infr. ad SC. Trebellian. — 25. Immo vide L. 1, § 1, infr. de feris. — 26. L. 2, C. quando provocare non est necess. — 27. L. 12, infr. de offic. praesid. — 28. Adde L. 4, § 1, infr. de interrog. in jure. — 29. L. 5, infr. de jurisdic.: L. 11, § 1, infr. de his qui notantur infam.: L. 1, § 1, infr. de offic. eius cui mandata est jurisdic.